

CORPORIS
JURIS CANONICI

TOMUS PRIMUS,

CONTINENS

DECRETUM GRATIANI,

AD VETERES CODICES RESTITUTUM
ET NOTIS ILLUSTRATUM.

CUI ACCEDUNT

CANONES POENITENTIALES

ET

CANONES SANCTORUM APOSTOLORUM.

CORPUS JURIS CANONICI ACADEMICUM,

EMENDATUM ET NOTIS P. LANCELOTTI
ILLUSTRATUM,

IN DUOS TOMOS DISTRIBUTUM,
USUIQUE MODERNO

Ad Modum

CHRISTOPH. HENR. Freiesleben,
aliàs FERROMONTANI,

J. U. D. CONSIL. CAMER. ET MIN. SAXO-GOTH. ET ALTENB.
ITA ACCOMMODATUM,

UT NUNC STUDIOSORUM QUIVIS, ETIAM TYRO,
UNO QUASI INTUITU, OMNES CANONES, CAUSAS
ET CAPITULA INVENIRE POSSIT.

Accesserunt

LOCI COMMUNES UBERRIMI
ET INDICES TITULORUM CANONUMQUE OMNIUM
summa diligentia ac nova methodo concinnati.

TOMUS PRIMUS.

Cum PRIVILEGIIS CÆSAREIS & SAXONICIS.




COLONIÆ MUNATIANÆ,

Impensis THURNISII, Joh. Rudolphi Filii, Bibliop. & Typogr.

M DCC LVII.

Ad futuram rei memoriam.

CUM pro munere Pastoralis humeris nostris injuncto, id præcipue nobis propositum habeamus, ut omni studio, diligentiaque omnes Christi fideles, his præsertim tam gravibus, calamitosisque temporibus, in rectâ & Catholicâ fide continere, curemus: ac propterea id imprimis nobis agendum & providendum sit, ut omnem omnibus aberrandi ab ea occasionem subtrahamus. Dudum ob hujus rei executionem, adhibitis nonnullis ex Fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, adjuncto etiam aliquorum doctrinâ & pietate insignium Virorum studio, Decretum Gratiani nuncupatum absque glossis, necnon idem Gratiani Decretum, cum Decretalibus Gregorii Papæ IX. Prædecessoris nostri, Sexto, Clementinis, & Extravagantibus, non modò cum veteribus glossarum Auctoribus, quibus cum viri pii & Catholici fuerint, ignoscendum videtur, si quid vel ob errorem in illis, vel quia nondum pleraque à sacris Conciliis diffinita fuerant, liberiùs locuti sunt: Verùm etiam cum his, quæ ab impiis scriptoribus tam extrâ in marginibus, quàm etiam intrâ aspersa fuerant Catholicæ veritati contraria, revidendi, corrigendi, & expurgandi curam demandavimus. Cùm autem ipsum Decretum absque glossis, à præfatis à nobis deputatis jam totum emendatum, & correctum, ac nonnullis annotationibus illustratum existat, ipsiusque major pars à dilecto filio Paulo Constabili, tunc sacri nostri Palatii Apostolici Magistro, unâ cum dictis Decretalibus felicitis recordationis Gregorii IX. Prædecessoris nostri jam impressis, recognita & approbata sit: reliquum verò ejusdem Decreti unâ cum annotationibus prædictis, tam absque Glossis, quàm ipsum totum cum Glossis, Sextumque & Clementinas simul, & Extravagantes, à dilecto filio Sixto Fabri, ejusdem Palatii nostri Apostolici Magistro, recognoscenda omnia & approbanda in officina populi Romani, quæ ad hoc potissimum, ut libri sacri in ea fideliter, & incorruptè imprimantur, erecta fuit, imprimi, & impressa divulgari jusserimus, ac ut ad majorem Christi fidelium ubique tam intra quàm extra Italiam, citra, & ultra Montes commorantium commoditatem, hoc Juris Canonici corpus fideliter & incorruptè, juxta exemplar Romæ impressum à Catholicis Typographis, à Romano populo, sive ab eo deputatis, vel pro tempore deputandis electis, imprimi possit. Nos opportunè providere volentes, ut hoc Jus Canonicum sic expurgatum ad omnes ubique Christi fideles factum tectum perveniat, ac ne cuiquam liceat eidem operi quicquam addere, vel immutare, aut invertere, nullavè interpretamenta adjungere: sed prout in hac nostra Urbe Roma nunc impressum fuit, semper & perpetuò integrum & incorruptum conservetur. Motu proprio & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus & singulis in nostro, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ dominio, nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ me-



CONCORDIA DISCORDANTIUM CANONUM, AC PRIMUM ^a DE JURE DIVINÆ & HUMAN. CONSTITUTIONIS.

DISTINCTIO PRIMA.

HUMANUM genus duobus regitur, naturalibus videlicet jure & moribus. Jus naturale est, quod in lege & Evangelio continetur, quo quisque iubetur alii facere, quod sibi vult fieri, & prohibetur alii inferre, quod sibi non sit fieri. Unde Christus in Evangelio a: Omnia quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. Hac est enim Lex & Prophetæ.

Correctores Romani. § a. Ac primum J Hoc loco in manuscriptis codicibus magna est varietas. Nam partim nulla est hoc loco inscriptio: partim verò legitur, De jure scripto & non scripto, & quod cui præponatur, & legum authoribus, & duorum malorum electione, sive dispensatione. Aut, Ac primum de jure constitutionis naturæ divinæ aut humanæ. Aut, De jure naturæ, & humanæ constitutionis, quam Dominicus de Geminiano agnoscebat, & extat in nonnullis antiquioribus editionibus. Aut, De jure naturæ & constitutionis, quæ inscriptio maxime videtur convenire tractationi Gratiani, qui sæpi ad hæc capita revertitur, ut initio distinct. §. 7. 8. 15. & 11. q. 1. c. si quæ consue. hanc totum locum indicant scribit: Require in principio, ubi differentia signatur, inter jus naturale, & jus constitutionis. Veruntamen in hac tanta varietate, quæ, ut aliæ conjecturæ mittantur, argumento esse potest, nullam hic à Gratiano ipso positam esse rubricam, satis visum est, retentâ vulgata lectione cæteras indicare.

C. I. Divinae leges naturæ, humanæ moribus constant.

Hinc Hld. in lib. 5. Etymolog. c. 2. ait:

Omnes leges aut divinæ sunt, aut humanæ. Divinæ naturæ, humanæ moribus constant: ideoque hæc discrepant, quoniam aliæ aliis gentibus placent. §. 1. Fas, lex divina est: Jus, lex humana. Transire per agrum b alienum fas est, jus non est.

Gratianus. Ex verbis hujus authoritatis evidenter datur intelligi, in quo differant inter se lex divina & humana, cum omne quod fas est, nomine divinæ, vel naturalis legis accipitur: nomine verò legis humanæ, mores ipso jure conscripti & traditi intelligantur. §. 1. Est autem jus generale nomen, multas sub se continens species.

C. II. Jus genus, Lex autem species est.

Unde in eod. lib. Etymolog. c. 3. Hldor. ait:

Jus generale nomen est; Lex autem juris est species.

Jus autem est dictum, quia justum est. Omne autem jus legibus & moribus constat.

C. III. Quid sit Lex.

Lex est a constitutio scripta.

C. IV. Quid sit Mos.

Mos a est longa b consuetudo, de moribus tantummodo c tracta.

Correctores Romani. § a. Apud Isidor. hæc antecedunt: Mos est vetustate probata consuetudo, sive lex non scripta. Nam lex à legendo vocata est, quia scripta est. Mos autem longa consuetudo est. &c.

C. V. Quid sit Consuetudo.

Consuetudo autem d est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex. §. 1. Nec differt, an scriptura, an ratione consistat, quoniam & legem ratio commendat. §. 2. Porro si ratione lex constat, lex erit omne jam, quod ratione consisterit duntaxat, quod religioni conveniat, quod disciplinæ congruat, quod salutis proficiat. §. 3. Vocatur autem consuetudo, quia in communi est usu.

Gratianus. Cum itaque dicatur: non differt, utrum consuetudo scriptura, an ratione consistat: apparet, quod consuetudo est partim redacta in scriptum, partim moribus tantum utentium est reservata. Quæ in scriptis redacta est, constitutio, sive jus vocatur: e qua verò in scriptis redacta non est, generalis nomine, consuetudo videlicet, appellatur. §. 1. Est autem & alia divisio juris, ut in eod. lib. 5. c. 4. testatur Isidorus, ita dicens.

C. VI. Quæ sint species Juris.

Jus f autem aut Naturale est, aut Civile, aut Gentium.

C. VII. Quid sit Jus naturale.

Jus naturale est commune omnium nationum, eò quod ubique instinctu naturæ, non constitutione aliqua habetur; ut viri & feminae conjunctio, liberorum successio a & educatio; communis omnium possessio, & omnium una libertas, acquisitio eorum, quæ celo, terrâ, marique capiuntur; item depositæ rei, vel commendatæ g pe-

a Isid. eod. c. 3. b Isid. ibid. Ivo p. 4. c. 200. c tantundem) in orig. manuscript. & aliquot Gratiani. d Isidor. ibid. Ivo ibid. Pan. l. 2. c. 161. Tertull. in lib. de corona militis. e Quando ita simpliciter, ut ex nunc statuitur, sed si consuetudo publicâ auctoritate in scriptis redigitur & auctoratur, ne dubitetur an aliâ probatione opus sit, nihilominus consuetudo est. f Jus aut naturale) orig. & aliquot Gratiani codices. Isidor. eod. c. 4. g al. commodatæ restitutio.